

3,69. 243
15
1761 13327

OBSERVATIONES
IVRIS ECCLESIASTICI
DE
CATHEDRATICIS
INTHRONISTICIS
ET
EMPHANISTICIS

PRAESIDE
ANDREA FLORENTE
RIVINO D

POTENTISSIMI REGIS POLON. ET PRIN-
CIPIS ELECT. SAX. CONSILIARIO AVLICO
CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
CVRIAE PROVINCIALIS CONSIST. ECCLESIASTICI
ET SCABIN. VITEMB. ASSESSORE ITEMQVE
ORDINIS IVRIDICI SENIORE

H. T. DECANO

DIE VII. FEBR. 1761
IN AVDITORIO MAIORI


DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

LVDOVICVS HENRICVS HEYDENREICH
DRESENENSIS

VITEMBERGAE LITERIS SCHLOMACHIANIS





A M P L I S S I M O
A T Q V E
C L A R I S S I M O
C A N D I D A T O

S. P. D.

P R A E S E S.

Vt per se iucundissimum est negotium, quod muneris ratio nobis, doctoribus publicis, imposuit, ingenia literis mancipata tractare, eademque ad sapientiam, et, quae sapientiae fructus est, ad famam et immortalitatem, manuducere, ita praesertim iucundum est, speculari ingenia, et, quantum alterum alteri, suis dotibus, aut antecellat, aut cedat, explorare. Tanta enim est ingeniorum diuersitas, ut, varios eorum gradus et classes esse, com-
mode

mode dicatur. Ea, quae reliquis omnibus praestant, solertissimus ille ingeniorum censor, Seneca, uocat ingenia primae notae. Hoc gradu, ex eius mente, habentur ingenia uirtutis rapacia et ex se fertilia, ingenia facilia et expedita, quae ipsa sibi uiam faciunt, quibus ex se impetus est, quae ipsa se proferunt. In proximo gradu, Seneca dixit, esse ingenia secundae sortis, quae, licet egregia etiam sint, tamen hoc habent, quod ope aliena indigeant, quod non eant, si nemo praecesserit. Tertium genus, ait, esse eorum, quae cogi ad rectum compellique possunt, quibus igitur non duce tantum opus est, sed adiutore et coactore. Postremum denique gradum tenent ingenia, quae describere nolo. Iam, si TE, POLITISSIME CANDIDATE, intueor, exploraturus, quo gradu habendus sis, tot argumenta inuenio, quae certissimam fidem faciunt, TE rem
agere

agere inter ingenia primae notae. Scilicet uir-
tutis rapax ingenium, cum inter nostros uersare-
ris, quod non sine uoluptate recordor, omnium,
qui TE norunt, amorem TIBI conciliauit. Sponte
semper iuisti, neque expectasti, ut quis praecederet
aut cogeret. Ex TE ipso impetus fuit ad rectum
honestumque sectandum. Ingenium ex se fertile,
facile et expeditum, Ordini nostro, in tentami-
nibus, quae subiisti, ita probasti, ut TE, concor-
dibus suffragiis, dignissimum iudicauerimus, cui
aditus ad summos in iurisprudentia honores pate-
feret. Ipse TIBI facis uiam ad laudem et decus.
Ipse, quod solent ingenia primae notae, TE pro-
fers in lucem. Publice enim, ante discessum ex
hac Academia, libellum, elegantissime a TE con-
scriptum, plaudentibus bonis omnibus, defendisti.
Postea in foro causas eorum, qui fidei TVAE
se

se crediderunt, ut scite, ita candidè, orasti. Iam
nouo libello, quem publice proponis, TE praeceptis
iuris feudalis probe imbutum esse, abunde demon-
stras, et propediem in ipso conspectu inaugurali,
quem paras, intelligemus, quam in numerato ha-
beas ingenium. Ego uero multo per laetor feli-
cissimo hoc, quem ubique experiris, rerum TVA-
RVM successu, et, ut auguror, TIBI non defu-
turam esse fortunam amplissimam, quae nunquam
deest ingenii primae notae, ita ex animo uoueo,
ut haec quam proxime TIBI eueniat, et ut
eadem quam diutissime perfrua-
ris.





OBSERVATIONES
IURIS ECCLESIASTICI
DE
CATHEDRATICIS INTHRONISTICIS
ET
EMPHANISTICIS

§. I.



HÆC duo verba, *Inthronisticum* et *Cathedra-*
ticum, inter se discrepare, sed tamen vnum
sonare, nonnullis eruditorum videtur:^{a)} At
totam hanc contentionem, non modo in
verbi controuersia positam, ex sequentibus
patet. In *Iure Iustiniano* iam notum est *inthronisticum*, *Nou.*
CXXIII. Cap. III. seu certa pecuniae summa, quam pro

A 2

intro-

a) FRANC. DVAREN. *Comment. de Sac. Eccles. Ministr. Lib. VII. Cap. V.*
n. 1. p. 1200. IUNG. HORN. in *Addit. ad SCHILTER. p. 163. et 355.*



introductione, seu inthronifatione dare solebant Episcopi, partim Episcopis, qui in consecratione aderant, partim clericis et Notariis, qui in ordinatione administrabant, et diplomata conficiebant: Hinc litterae *enthronisticae*, ἐνθρονιστικαὶ σίλλαβαί, sunt epistolae, quas in inthronifino, i. e. exordio episcopatus sui ad se mutuo misitabant Patriarchae. ^{b)} Non ergo ipsi introducendo Episcopo a subiectis ecclesiae doni loco *inthronisticum* datum fuit, ceu visum WEBERO. ^{c)} Genus vero honorarii, quod IUSTINIANVS vocat ἐνθρονιστικόν, ab interprete IULIANO, Antecessore, vertitur *catbedraticum*. Unde forsitan et alii ^{d)} pro Synonymis accipiunt *inthronisticum* et *catbedraticum*, quae tamen inuicem longe differunt. Illud datur illis Episcopis, qui alterius consecrationi aderant, hoc in recognitionem Episcopo debitam, vt explicat PETR. DE MARCA de *Concordia Sacerdot. et Imperii*. ^{e)} Nec in ambitum incidit, qui soluit *inthronisticum d. Nou. CXXIII. Cap. III.*

§. II.

- b) Vide VALES. ad EVAGRII *Hist. Eccl. Lib. IV. Cap. IV.* HOMBERGK ZU VACH in *Not. ad Nou. CXXIII. Cap. III. pag. 811.*
 c) *De Introd. Episc. Tit. VI.*
 d) Vid. CUIAC. ad *Nou. VI.*
 e) *Lib. VI. Cap. X.* Iung. FR. DE BERLENDIS de *Oblationibus ad Altare pag. 210.* edit. Venetiis 1743.



§. II.

NIL itaque aliud est *cathedraticum*, quam census, qui Episcopo et ecclesiis in argumentum subiectionis ob honorem cathedrae tribuitur, ^{a)} de quo ad FABIANVM *Episcopum GELASIVS Papa*, *cathedraticum* etiam non amplius, quam vetusti moris esse constiterit ab eius loci Presbyterio noueris exigendum, vt habetur in *Cap. V. Causs. X. Qu. III.* et huius *cathedratici* quoque fit mentio in *Cap. IX. X. de Cens.* quod etiam *Synodaticum* vocatur, quia in Synodo hunc censum exigebant Episcopi, et in duobus solidis regulariter consistebat, *Cap. IV. Causs. X. Quaest. III. et Cap. XVI. de Officio Iudic. Ordin.* ^{b)} et est vnus eiusdemque praestationis appellatio duplex. ^{c)} Variasse autem hanc praestationem liquet ex *Cap. XX. X. de Censibus.* Et quidem in Synodis, qui conuentus sancti vocantur in *L. 6. Cod. de S. S. Eccles.* bis singulis annis habitis, Episcopo visitanti soluebatur, vt

A 3

in

^{a)} LANCELLOTTVS *Instit. Iur. Can. Lib. II. Tit. XXI. §. 1. sequ. ibique ZIEGL. et de Episcop. Lib. III. Cap. XXVII. §. 3. sequ. MORETTI Rit. dandi Presbyr. Part. III. Sect. II. pag. 250. Romae impr. 1741.*

^{b)} IUNG, THOMAS. *Ver. et Nou. Eccles. Discipl. circa beneficia et beneficia-rios Part. III. Lib. II. Cap. XXXIV. §. 5. pag. 382.* et STRAVCH. in *Amoenit. Iur. Can. Ecl. IX. Cap. IV.*

^{c)} IAN. A COSTA *Comment. in Decret. ad c. 16. X. de Offic. Iud. Ord. p. 196.*



in festo natiuitatis et resurrectionis, ceu colligi potest ex *dict. Cap. XX. X. de Censibus*, ^{d)} hodie parochi pensionem ipsi ad Synodos deferunt: in pluribus tamen Dioecesibus prorsus exoleuisse testatur CLAVD. FLEVRY. *Instit. Iur. Eccles.* ^{e)}

§. III.

EQUIDEM BERGERVS in *notis ad LANCELLOTVM* ^{a)} putat *Synodaticum* et *cathedraticum* differre, variisque adducit auctores, et DIONYS. GOTHOFREDVS in *Not. ad Nou. CXXXIII. Cap. III.* suspicatur inthronisticum in utilitatem ecclesiae et alimoniam pauperum cessisse, sed aliud verba *C. XLIX. de Offic. Iud. Ord. et dictae Nouellae* innuunt; quantum non negandum sit, post IVSTINIANVM obtinuisse, ut *inthronisticum* non ei, qui ordinat Episcopum, sed pauperibus datum sit, uti praeclare docet Io. STRAVCHIVS in *Amoenit. Iur. Can.* ^{b)} Nimirum id olim soluebatur Episcopis pro inthronificatione, ut ita loquar, ^{c)} seu institutione,

Einwei-

d) IUNG. BOEHM. *Instit. Iur. Eccles. Lib. III. Tit. XXXIX. §. 5.*

e) *Part. II. Cap. XXIV. §. 2. pag. 492.*

a) *Ad dictum Titulum.*

b) *Eclog. VI. Cap. VIII. pag. 149.*

c) CAROL. DE FRESNE *Glossar. Med. Aeu. inf. lat. sub artic. Thronus.*



Einweisung, Einsetzung, quod hodie *inuestituram* et *installationem* vocant; et a clericis pro ministerio suo in consecratione, et pro expensis itineris et commearus accipiebatur,^{d)} atque procul dubio ex ritu introducendi in stallum, id est, sedem, seu locum constitutum in choro,^{e)} natum est vocabulum *installationis*, quo etiam Pontifex HONORIVS III. in Cap. XLIII. X. de *Simonia* vsus, quando *installationis* fo-lennitates in electis Abbatibus ordinis Cisterciensium fieri prohibet.

§. IV.

Quod vero attinet ad *Emphanistica* clericorum, hac voce significatur, quod ingressus, seu introitus nomine, vt ita dicam, datur a nouis clericis veteranis, quasi pro declaratione et in numerum relatione ab ἐμφανίζω, de quibus *Emphanisticis* agit Nou. LVI; vetus interpres *insinuatina* vertit.^{a)} Haecque eadem ratione dici, qua ἐνδοματιαί, quae *indultoria* dicuntur, notat GOTHOFREDVS,^{b)}

et

d) BOEHM. Iur. Eccles. Lib. III. Tit. VII. §. 16.

e) De quo vid. Cap. XIX. XX. XXV. de *Praebendis*, et CHRISTIANI WILDVOGELII Elect. Iur. rom Ciu. quam Canon. et Sax. Dec. II. 3. pag. 89. de *stallo in choro*.

a) Confer. HOMBERG ZU VACH Not. ad dict. Nou. XXXVI. pag. 471.

b) Ad Cap. VII. Edict. XIII. Iustin.



et sunt, quae dat collector exactori, ut aliquid de exigendi feueritate remittat, de quibus extat prohibitio *Imperatoris ANASTASII* in *L. 9. §. 1. Codic. de Exactoribus*. *Endquartus* nullus accipiat, sed et nomen illud penitus aboleatur. Hodie *emphanisticum* ex sententia *HORNII*^{c)} apud nos dici potest, quod clerici assistentes pro ordinationibus accipiunt. Sed in hoc tamen differunt, quod haec munera potius pro ingressu, vel introitu in receptionem collegii dabantur. Et quidem *dicta Nouella emphanistica* sublata in inferioribus ecclesiis, permilla vero in magna ecclesia. Porro *SCHILTERVS*^{d)} ad sportulas ecclesiasticas, quae pro singulis actibus ecclesiasticis loco honorarii soluuntur, refert *intbronistica*, *emphanistica*, et *cathedratica*. Circa haec *intbronistica*, quaeri solet, inquit *HORN.* in *Addit. ad SCHILTER.*^{e)} an a Superintendente exigii possint, si inuestitura nunquam facta sit? quod utique est negandum, cum *intbronisticum* pro officio praestandum est: quo non praestito, beneficium etiam cessat.

§. V.

c) In *Addit. ad SCHILTER.* pag. 355.

d) In *Instit. Iur. Can. Lib. II. Tit. VIII. §. 21.*

e) Pag. 163. iung. *ZIEGL.* in *Superintendente Cap. XV. §. 6.*



§. V.

SED quemadmodum inuestitura non est de essentia ministerii; potest enim, qui inuestitus nondum est, docere verbum, administrare sacramenta, et quoscunque actus ministeriales exercere, quod non liceret, si ad substantiam necessaria esset inuestitura, vt bene sentit ZIEGLERVS: ^{a)} ita fit, vt illa nonnunquam propter exhaustum aerarium ecclesiasticum, aut inopiam parochianorum, per *Rescript. Consist. Supr. Dresd.* differatur, aut plane omittatur: ^{b)} regulariter tamen propter singularia commoda, ^{c)} dum in actu inuestiturae, pastores pariter ac parochiani, officii sui admonentur, et ministri ecclesiae post ordinationem, confirmationem, introductionem et apprehensam possessionem bonorum parochialium, et susceptum ministerium, salarium et omnia emolumenta accipiunt, statim post confirmationem vocati fieri debet, videlicet, quum salarium soluatur ob ministerium, et id, quod ob causam soluendum,

B

dum,

^{a)} *Dicto loco §. 5.*

^{b)} BEYER. ad CARPZ. *Iurisprud. Eccles. Lib. I. Def. LIV. pag. 34.*

^{c)} BOEHM. *Ius Paroch. Sect. III. Cap. I. §. 54.*



dum, antea exigi non possit,^{d)} nec sola collatio beneficij transferat possessionem, *Cap. XXVIII. de Praebendis in 6to.* Recte igitur apud nos idcirco Superintendentens in ipsis litteris confirmationis a Consistorio admonetur,^{e)} et per generale *Rescript. POTENTISSIMI REGIS nostri de d. Dresd. d. 4. Jul. 1746. ad Consist. Viemb.* investitura statim, et ad minimum intra annum post confirmationem fieri, vel plane omitti debet. Verba *Rescr.* haec sunt: *So ist hiermit unser Begehren, ihr wollet an die euch untergebene Superintendenten ebenmäßige Verordnung ergeben lassen, und fleißige Acht haben, damit dieser ungebührlichen Verzögerung gesteuert, hingegen angeregter Kirchen-Ordnung gebührend nachgelebet, mithin besagte Investitur derer Kirchen-Diener alsbald nach erlangter Confirmation und längstens binnen Jahresfrist bewerkstelliget, in Unterbleibung dessen aber gänzlich unterlassen werden möge. Ihr habet von dieser unserer Entschlüssung durch erwehnte euch untergebene Superintendenten zugleich denen bey sothaner Investitur*
concur-

d) IDEM in *Iur. Eccles. Prot. Lib. III. Tir. V. §. 233.* HEINECC. *Conf. Iur. Tom. 1. Resp. LV.*

e) WERNH. *Princip. Iur. Eccles. Cap. II. §. 24. pag. 10.*



concurrirenden Beamten und Collatoren gewöhnlichermaßen
Nachricht zu ertheilen.

§. VI.

QVAE hic de *Cathedraticis, Inthronificis, et Emphanisticis*, dicta sunt, et de *procuracionibus*, quae Episcopo pro victu et alimentis ab ecclesia, habita ratione facultatis debentur, cum visitat Dioecesin,^{a)} tradi a Doctoribus solent, cum plerumque applicentur ad impensas, quae hodie pro *inuestitura, seu installatione ministrorum* ecclesiae, et pro itinere, et vt nouus parochus cum familia et supellectile aduehatur, soluendae, operam dabo, vt et hanc materiam, praesertim, quis sumtus hos ferre teneatur, et quo iure et praerogatiua gaudeant in concursu creditorum, breuiter exponam.

§. VII.

PASTOR nouus ecclesiae minister hos sumtus ipse ferre non potest; aequitati enim non conuenit, vt quis suis stipendiis

B 2

pendiis

^{a)} Vid. THOMAS. in *Ver. et Nou. Eccles. Discipl. circa beneficia et beneficiarios Part. III. Lib. II. Cap. XXXIII. pag. 375.* et STRAVCH. d. l. *Elog. VIII. Cap. IV. pag. 45.*



pendiis militet, c. 16. X. de Praescript. ^{a)} nisi forsitan alio vocetur ad munus ecclesiasticum, et eius melior fiat conditio, praesertim, si breui tempore ecclesiae priori seruiit, ^{b)} vel voluntaria sit mutatio, ^{c)} alias in primis consuetudines, pacta, res iudicatae, et statuta cuiusvis loci euoluenda. ^{d)} Etenim non minor est consuetudinis et obseruantiae in ecclesiasticis, quam ciuilibus causis auctoritas, ^{e)} quae, si deficiant, plerique cum CARPZOVIO ^{f)} statuunt, praestandos esse hos sumtus ex aerario cuiuslibet ecclesiae, ad quam instituitur minister, et in subsidium demum ex collecta paroecianorum, sed contrarium ex *Resol. Grau. de 1661. Tit. von Consistorial-Sachen, §. wie wir ferner zum vierzehenden &c.* patet, quod sumtus inuestiturae potius parochiani, quam aerarium ecclesiasticum, suppeditare teneantur; in his enim

^{a)} Iung. CARPZ. *Iurisprud. Eccles. Lib. I. Def. LIII. num. 1.* HEINECC. *Resp. LV. num. 5. pag. 431.*

^{b)} BRUNNEM. *Iur. Eccles. Lib. I. Cap. V. §. 28.*

^{c)} BEYER. ad CARPZOV. pag. 33.

^{d)} HORN. ad SCHILTER. pag. 208.

^{e)} L. 32. D. de Legibus. WERNH. *Part. VII. Obs. CXL.*

^{f)} *Lib. I. Def. LVI. SCHILTER. Instit. Iur. Eccles. Lib. I. Tit. XV. §. 8. et Tit. XX. §. 1. DEYL. Instit. Prud. Past. Part. II. Cap. II. §. 27.*



enim iniungitur Superintendenti et Pastori, vt idcirco cum patrono conferant, ne sumtus immodice erogent, ac parce conuiuia instituant, hasque expensas per dominum iurisdictionis inter parochianos curent distribui et colligi.^{a)} Ad modum tribuendi autem quod attinet, nihil de eo certi in legibus nostris sancitum inuenimus. Vnde *Consist. Vitemb. Mens. Sept. 1718.* modum collectandi per fumantes, *nach den Feuerstätten*, approbavit, *daß Klager, so viel den ersten Klagepunct betrifft, in Ansehung der Vol. befindlichen Documenten, und daß die libellirte Proportion des Beytrags an sich selbst der Billigkeit gemäß, und so lange ein anders nicht eingeführt, oder hergebracht, beyzubehalten, dasjenige, so ihm zu bescheinigen auferlegt, und er sich angemast, zur Nothdurft beygebracht: Derowegen die zur Ordination und andern bey dem Anzuge eines neuen Pfarrers zu N. erfordernte Kosten von beyden Gemeinen zu besagten N. und N. nach denen Feuerstädten auszubringen.*^{b)} Cum alibi *impositio fieri soleat, vel nach denen Hufen und Vermögen, vel nach denen Hauptern, und nach der Mannschaft.*

B 3

§. VIII.

^{a)} BEYER. ad CARPZ. Lib. I. Def. LVII. pag. 35.

^{b)} Vid. Dissert. KRAVSII de Concion. Docimastica, von der Probe-Predige §. 48.



§. VIII.

NEC filialistae eximuntur, et si non constat de contraria consuetudine, aequaliter cum reliquis parochianis concurrunt, ex sententia CARPZOVII^{a)} et BOEHMERI.^{b)} BEYERVS tamen ad CARPZOVIVM notat,^{c)} *Consist. Supr. Dresd.* d. 20. Aug. 1658. filialistis praestationem tertiae modo partis sumtum iniunxisse, vti in aliis contributionibus idem fieri affolet, nisi pactum, obseruantia, vel aliae circumstantiae aliud suadeant.^{d)} Quod *Rescript. Elect. Io. GEORGII II.* gloriosissimae memoriae, videre quoque licet in *Cod. Aug. Tom. II. p. 862.* Wenn wir es denn bey unser vorigen, auf dem Landes-Gebrauch und eingeführte Consistorial- und Kirchen-Obseruanz gegründeten rechtmäßigen Verordnung von 30^{ten} Junii jüngsthin allerdings verbleiben lassen, DAS DIE FILIALISTEN, ZU EINHOLUNG DES NEUEN PFARRERS UND ANDRER DERGLEICHEN UNKOSTEN, JEDER-

a) *Iurisprud. Eccles. Lib. II. Tit. VII. Def. CCCXLIV.*

b) *Iur. Eccl. Prot. Cap. III. §. 8.*

c) *Lib. I. Def. LVIII. pag. 35.*

d) *Iung. Dissert. PRAESID. de immunitate forensium ab onere resc. actif. Eccles. §. 7. et 10.*



JEDERZEIT DEN DRITTEN THEIL MIT BEYTRAGEN SOLLEN, also daß wenn die in der Haupt-Kirche von einer Hufe 2. Gr. Anlagen, und 2. Fuhren verrichten, die in Filia 1. Gr. und ein viertheil Fuhre zu leisten haben; so wollet ihr insgesamt die Paribeyen also bescheiden. Et haec sanctio summa nititur aequitate, vt, qui in ecclesia matre viuunt, plus conferant, quam illi, qui in filia degunt, quia compluribus emolumentis et compendiis fruuntur, quibus hos carere oportet. ^{e)} Vnde etiam ecclesia mater, *principalis, capitalis*, appellari solet, teste DU FRESNE in *Glossar.* ^{f)} vbi tamen merito dubitat, an etiam ecclesia *nutrix* dici possit; equidem allegat auctorem, qui mentionem facit ecclesiae *nutricis*, putat tamen hanc lectionem esse erroneam, et substituendam esse vocem *matricis*. Accurate igitur BESOLDVS ^{g)} de matre et filia ait: Die Hauptkirche, da der Pfarr wohnt, wird genennt Mater oder Matrix, da aber kein Pfarr wohnt, oder welche Kirche eingepfarrt, die heisset Filia, daß sie sich nach der Pfarr-Kirche richten soll, wie die Tochter nach der Mutter.

§. IX.

^{e)} WERNH. *Iurisprud. Eccles. Proest. Cap. XI. §. 4.*

^{f)} Sub voce *matrix*.

^{g)} In *Thef. practico sub hac voc. num. 75.*



§. IX.

EXCEPTIO est in commendis, vt vocatur in *Instr. Pac. Ofn. Artic. V. §. 14.* Germanico idiomate, *Commenturey, oder Compterey*, a commendando dictis, ^{a)} dum reditus commendatorum in cultum diuinum pro parte sunt impendendi, quem in modum pronunciauit *Consist. Vitemb. M. Mai. Ao. 1741.* in caussa *August Wilhelm Grotens, als Land-Commenthurs der Balley Sachsen Dansdorff Klegers an einen, contra die Gemeinde zu Dansdorff und Kranepubl Beklagte andern Theils.* Dieweil die Einkünfte einer Commende mit zur Bestellung und Besorgung des Gottesdienstes gewidmet seynd, also Kleger kein schlechter Patronus ist, auch besage der Matriculn, andern zur Erhaltung der Pfarre und des Pfarrers nöthigen Aufwand tragt, hingegen, daß die Anzugs-Kosten und Fuhren von dieser Regul ausgeschlossen, und von Beklagten jemahlen übernommen worden, sich keine Spur findet, so werden Beklagte von angestellter Klage entbunden, und ist Kleger alle auf die Setzung, Bestatigung, Anzug und Einföhrung eines neuen Pfarrers zu Dansdorff gehende Kosten und Fuhren sowohl von vorigen Zeiten zu tragen schuldig,

a) Iung. BOHEM. Iur. Eccles. Lib. III. Tit. V. §. 144.





dig, er könnte denn sein Vorgeben, daß Beklagten diese Schuldigkeit obliege, binnen Sächsischer Frist, mit Vorbehalt des denen Beklagten zustehenden Gegenbeweises und beyder Theile Eides-Delation erweisen, dessen genösse er billig. Quae sententia a Scabin. Lips. M. Nou. 1741. et in Summo Appellationum Iudicio Mens. April. 1744. pure, et leutatione a viribus rei iudicatae suspensa, cum declaratione: Jedoch das ste Grävamen anlaugend mit dieser Erklebrung, daß die in dem fol. 33. Act. sub D. befindliche Urthel von vorigen Zeiten angezogene Kosten und Fuhren nur von denen bey Anzuge des im Jahr 1740. bestellten Pfarrers erforderlich gewesen zu verstehen, est confirmata.

§. X.

POSTREMO notandum, hos sumtus in foris nostris non leuem habere fauorem et praerogatiuam prae aliis debitis in concursu creditorum, dum, quemadmodum honorarium, quod pro deductione funeris l. 14. §. 3. et l. 37. D. de Religios. et sumtibus funerum. Ordin. Eccles. Art. Gen. 26. §. von Begräbnissen^{a)} et pro concione funebri pastori solui consue-

C

uit,

^{a)} CARPZ. Iur. Eccl. Lib. I. Def. CXII. sequ. STRYK. ad BRVNEM. Ius Eccles. Lib. II. Cap. V. §. 7.



uit, sumtibus funeris, ceu pronunc. *Ord. Isf. Vit. M. April. 1708.* ^{b)} et quod für *Besuchung derer Pfarr-Herren* solutum, impensis in vltimum morbum factis, annumeratur, ^{c)} ita in eadem classe cum ceteris oneribus publicis *Rescript. Reg. de d. Dresd. d. 28. Febr. 1731. ad Dicasteria Vitembergenſia* collocantur: *Nachdem bey uns wegen derer Anlagen zu denen Pfarr-Bau-Kosten, und ob nicht nur solche, sondern auch andere dergleichen bey geistlichen Gebauden, VOCATION, PRAESENTATION, INSTALLATION, ABHOHLUNG DERER GEISTLICHEN UND SONST DER SELBEN HALBER, nicht minder die bey denen Communen, verfallene gemeinschaftliche Praestationes, WORZU ENTWEDER VON DENEN GRUND-STÜCKEN ODER VON DENEN BESITZERN BEYTRAG GESCHEHEN*

^{b)} Teste GRIBNERO in *Observ. Iur. Eccles. Obs. LXXVIII. pag. 15.* quo tamen perperam trahi solent verba *l. 14. §. 4. D. eod. si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum factum sit, cum ibi non de laudando defuncto, sed vel corpore eius terrae commendando, vel in certum locum inferendo, donec funeratur. l. 40. D. eod. vel commendando, si cum CUIACIO Lib. II. Obs. XVII. legem emendare velimus, agatur.*

^{c)} MARTIN. *Comment. ad Ord. Proc. Sax. Tir. XLII. §. 6. num. 29. iung. HORN. Observ. Iur. Eccles. circa iura patron. subfell. et sepult. Cap. IV.*



HEN MÜSSE, in dem Concurſu mit denen Oneribus in gleicher Ordnung, oder unter die Gemein-Gleubiger, anzusezen ſeyn möchten, unterthanigſter Antrag geschiebet, und unsere Resolution darzu gebethen wird. Und wir den hierbey vorwaltenden Umständen halber, für nöthig und nützlich befunden, daß die auf obige Maasse beniente ſämtliche Anlagen und Præstationes mit denen Oneribus in gleicher Ordnung, auch auf eben der Art, und nicht unter die Gemein-Gleubiger angeſetzt werden ſollen: So iſt hiermit unser Begehren, ihr wollet euch darnach, bey dergleichen vorkommenden Fällen, im Sprechen gebührend richten, und darauf rechtlich erkennen.





ULB Halle
002 671 204

3




A-70

B18







3,69. 293
15

1761 13327

BSERVATIONES
ECCLESIASTICI
DE
HEDRATICIS
RONISTICIS
ET
HANISTICIS
PRAESIDE
A FLORENTE
VINO D

II REGIS POLON. ET PRIN-
SAX. CONSILIARIO AVLICO
ESSORE PVBLICO ORDINARIO
NCIALIS CONSIST. ECCLESIASTICI
VITEMB. ASSESSORE ITEMQVE
S IVRIDICI SENIORE
H. T. DECANO

II. FEBR. c^o l^o CC LXI
ITORIO MAIORI

DEFENDET
TOR ET RESPONDENS
HENRICVS HEYDENREICH
DRESENENSIS

E LITERIS SCHLOMACHIANIS

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres